

*130. Instrumentum donationis di Nicola
de Bertano e Leonarda de Gratiano,
coniugi, in favore del capitolo potentino*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*130. Instrumentum donationis di Nicola
de Bertano e Leonarda de Gratiano,
coniugi, in favore del capitolo potentino*

1434-09-01

(c. 239v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen.
Anno a nativitate ipsius millesimo quatricentesimo
tricesimo quarto, regnante serenissima domina domina
nostra Ioanna secunda Dei gratia Hungarie, Hierusalem,
Sicilie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie,
Comanie, Bulgarieque regina, Provincie, Forcalquerii ac
Pedimontis comitissa, regnorum vero eius anno vicesimo
feliciter amen, die primo mensis septembris, tertie decime
inditionis, apud civitatem iudex Potentie, in ecclesia
Santi Girardi, matris ecclesie Potentine.

1

Nos Iacobus de Aliduca de Potentia annalis iudex
civitatis preditte, in defettu aliorum iudicum annalium
pro presenti anno tertie decime inditionis per curiam
reginalem no(ndum) confirmatorum et per eandem
universitatem creatorum, Tomasius de Strambo de
Potentia publicus ubilibet per provincias Principatus
citra et ultra serras Montorii, Capitinate et Basilicate
regia autoritate notarius et testes subscripti ad hoc
specialiter vocati et rogati, presenti scripto puplico
fatemur atque testamur quod preditto die eiusdem ibidem
et in ditto loco in nostri presentia constituti personaliter
Nicolaus de Bertano de Potentia et Leonarda, mulier,
de Gratiano, de eadem civitate Potentie, pro se ipsis
et eorum heredibus ex una parte et venerabiles viri
domnus Cominus de Bono Pari, cantor Potentinus,
et domnus Lucas de Zoffo, canonici et procuratores
et yconomi capituli Potentini, agentibus tam nomine
eorum quam nomine et pro parte clericorum ecclesie
capituli Potentini, ex parte altera, ditta Leonarda mulier
Il computo dell'era regni è espresso per anno incipiente
allungato.

et uxor ditti Nicolai viri sui, mero iure Romano vivens, sicut ceteri homines et mulieres de ditta civitate ab antiquo vixerunt et vivunt, ipsa quidem Leonarda cum // (c. 240r) plena et mera autoritate et licentia ditti Nicolai viri sui, presentis ibidem et sibi in toto presenti contrattu auctoritatem et licentiam annuentis et prestantis, preditti quidem Nicolaus et Leonarda coniuges asseruerunt coram nobis comuniter tam iure dotium quam aliorum iurium, se tenere et rationabiliter possidere quasdam terras sitas in tenimento civitatis Potentie, in contrata ubi dicitur Putei Falexi, confinatas ab una parte iuxta terras ecclesie Santi Girardi mediante limite, inferiori parte iuxta terras ecclesie Santi Lazari mediante limite, ab alio latere iuxta terras Gasparis domini Cicci mediante limite, a superiori parte iuxta terras Iacobi Curialis et Ioannis Pite mediante limite et alios fines. Qua quidem assertionem fatta, coram nobis ditti coniuges, pari volo et consensu, sponte et voluntarie, habentes et volentes habere et puram intentionem et devotionem erga luminariam ecclesie Santi Girardi, cum solertia et zelo purissimo et devotissimo, ut Deus et gloriosissimus beatus sanctus Girardus propter eorum santissimam misericordiam eis indulgeant reata co(m)missa et eorum animas ad eternam Paradisi gloriam perducant, propter dittam devotionem quam habent et habere, Domino concedente, intendunt de bono in melius futuro tempore, in ditta ecclesia in nostrum qui supra iudicis, notarii et testium subscriptorum presentia eisdem cantori et domno Luce procuratoribus, ut supra presentibus et ibidem recipientibus nomine et pro parte ditte luminarie et ecclesie supraditte, iure proprio et inperpetuum, tamquam benemerite et fruttuum // (c. 240v) debite renuntiationis condigne, dederunt,

donaverunt, tradiderunt et concesserunt donationis titulo inrevocabiliter inter vivos, perpetuo assignaverunt ex nunc prout ex tunc terras predittas per fines et loca superius declaratas, cum omnibus iuribus, proprietatibus et pertinentiis ad dittas terras spettantibus et pertinentibus, quoquomodo cedentes et transferentes ditti Nicolaus et Leonarda, cum autoritate qua supra, donatores, eisdem procuratoribus, nomine quibus supra, omne ius omnemque attionem seu omnia iura et attiones reales et personales et mistas, peremptorias, petitorias, rei et iuris persecutorias, anormalas obligaciones et promissiones quaslibet alias, tacitas et expressas, quas et que habent et habere possent ac eis competunt et competere possunt in et super dittis terris donatis et concessis cum omnibus et singulis iuribus suis, ita quidem quod liber(e) sit licitum eisdem procuratoribus presentibus, futuris clericis pro parte ditte luminarie et ecclesie ex nunc in antea tenere perpetuo et pacifice possidere terras predittas illasque utifruui et utifruui facere nomine et ad opus luminarie et ecclesie preditte omni tempore futurorum, absque contradictione et molestia ipsorum coniugum aut alterius ipsorum seu alterius eorum parte, ad faciendum in eis et de eis quidquid <sic> dittis procuratoribus et successive futuris, presentibus // (c. 241r) et futuris, placuerit. Et quia ditti coniuges donatores nullum ius nullamque attionem, proprietatem vel dominium in et super terris ipsis eis nec eorum heredibus aut alicui alteri persone quomodolibet reservaverunt, excepto quod coniuges ipsi dum in humanis agerent, eorum vita durante, habeant et habere valeant recipere singulis annis fructus, redditus et proventus dittarum terrarum provenientes et recipi et recolligi facere a colentibus terras predittas, quibus

decedentibus et post mortem ipsorum predictte terre
 immediate perveniant ad luminariam supradittam, quia
 sic expresse fuit <conventum>, dicta reservatio reservata,
 celebrata, stipulata et acceptata inter contrahentes
 predictos; et promiserunt coniuges ipsi, scilicet dicta
 Leonarda cum autoritate Nicolai viri sui, se et
 suosque heredes et bona ipsarum omnia et dotes
 solemniter obligantes per stipulationem solemnem dittis
 procuratoribus ut supra presentibus, pro se et nominibus
 quibus supra pro parte ditte luminarie et ecclesie
 prelibate, donationem ipsam inrevocabiliter fattam ac
 omnia et singula infrascripta omni tempore ex nunc
 inperpetuum ratam, gratam et firmam habere, tenere et
 non contrafacere vel venire vel allegare, in iudicio vel
 extra iudicium, de iure vel de facto, ad penam et sub pena
 unciarum auri decem pro quolibet ipsorum solvenda, //
 (c. 241v) pro medietate reginali curie vel alteri curie ubi
 de premissis fatta fuerit reclamatio seu querela et pro
 reliqua medietate dittis procuratoribus nomine quibus
 supra vel aliis successive futuris in ecclesia supradicta.
 Qua pena ego predictus notarius publicus pro parte
 ditte curie et predictis procuratoribus nomine quo supra
 fuimus a dittis coniugibus legitime et solemniter stipulati
 et pena ipsa totiens (con)mittatur, exigatur cum effectu
 quotiens contra fiet; ipsaque pena soluta vel non soluta
 aut gratiose remissa, presens contrattus nihilominus
 cum omnibus que in se continet in suo semper robore
 remaneat <et> firmitate, cum integra refettione omnium
 dannorum interesse et expensarum litis et extra que
 fierent propterea quoquomodo. Renuntiaverunt coniuges
 ipsi donatores, cum dicta autoritate qua supra, sponte,
 exceptioni doli mali, metus et in fattum, presentis
 non sic celebrati contrattus et rei aliter geste, legi

Sancimus, legi Si contraveniatur, fori privilegio, legi Velleyani consultus <sic> et generaliter omnibus aliis iuribus canonicis et civilibus, privilegio mulierum quibus seu propter que possent se defendere vel tueri in omni curia et foro ecclesiastico vel seculari; et pro predictis omnibus et singulis firmiter omni futuro tempore observandis et contra non veniendo aliqua ratione vel causa, ditti Nicolaus et Leonarda eius uxor cum autoritate predicta ad Santa Dei Evaneglia iuramentum // (c. 242r) prestiterunt corporale et renuntiaverunt expresse coniuges ipsi generalem renuntiationem et generaliter omnibus aliis auxiliis et iuribus quorumcumque et iuri dicenti generalem renuntiationem non valere et iuri per quod cavetur quod ditto iuri renuntiari non possit, quibus et propter quod ditto donatio et scripti huiusmodi tenor possent in aliquo munui vel infringi; certiorati prius ditti coniuges de iuribus et effectibus eorumdem. Unde ad futuram rei memoriam et omnium quorum et cuius inde interest et interesse poterit certitudinem et cautelam, presens publicum donationis instrumentum exinde fattum est per manus mei predicti notarii, signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis ac nostrum subscriptorum testium subscriptionibus roboratum.

2

3

Quod scripsi ego predictus Tomasius publicus ut supra notarius qui premissis omnibus vocatus et rogatus interfui ipsumque meo solito et consueto signo signavi.
† Ego qui supra iudex Iacobus de Aliduca † Ego Gaspar

*Dubito della lettura
Così S per convenerit*

domini Cicci de Ingannulo testis interfui et me subscripsi
† Ego dominus Lucas de Gaudino testis sum † Ego
Iacobus de Bono Ioanne testis sum † Ego Tomasius
Sinaquara de Gaieta testis sum † Ego Matheus Cappellus
testis sum † Ego Antonius Capazo de Puteolo testis sum